Apud nos etiam D. Pithopoeus 3. Calend. Feb.
ad Dominum migravit. D. Polanum afflictâ vale-
tudine uti in Moravia ex fratre Valerio nuper
cognovi. Optarim ei firmiorem habitudinem,
pro egregia doctrina et pietate, quâ prae multis
pollet. Bernense Gymnasium praeclarè sanè orna-
ret. De Stöckelio Senatus nondum statuit. Sen-
tentia ad ipsum vel ad te quamprimum perferi-
betur. Cognatus ejus D. Marius propè semestri
morbo confectus est, et medici parùm sperant,
metuunt etiam ab interitu. quam afflictio-
nem amici et collegae pii et optimi valdè doleo.
Sed δεῖ μόνιμον ἐν ἀγῶσι εἶναι. D. amice hono-
rande cum tuis opto εὐτύχως habere, et diu serva-
ri Ecclesiae sanctissimo ministerio. Pro benevolen-
tia autem tua in me singulari reverenter
gratias ago. Vale in Domino. Heidelbergae 5. Feb.
1596. Tuus David Pareus

291) Eidem idem S.

Henricus ille Lippiensis Theologiae can-
didatus tuas mihi reddidit, Vir clarissime, fra-
ter in Domino honorande: eum tuâ causâ
magis etiam officiis quibus potero prose-
quar, quem alioqui propter doctrinae ὁμόνοιαν
charum eram habiturus, quamquam vix ul-
tra nundinas hic subsistere cogitat. Non mi-
rum D. Bezam catarrhis affligi. Solet enim
decrepita aetas humido ἐμφύτῳ depasto per
siccitatem suam humidum magis appetere,
quod materiam destillationibus suppeditat,
ipsum enim cerebrum exsiccatione suâ solet
fieri magis excrementosum. Imò pro magno
habendum puto sive miraculo sive beneficio

Dei, quod minus hucusque valetudinosum, Ecclesia
habuit hunc virum, inter [illegible] tot ae-
rumnarum labores. Oro Deum ut has reliquias su-
perioris saeculi vere heroici diutius nobis ser-
vet: et decedenti de statione idoneum succes-
sorem excitet. D. Polano gratulor spartam
tam praeclaram, quam nemo magis ipso or-
nare poterit. D. Vorstius Bentheimensem pro-
fessionem suscepit meo et amicorum suasu.
Ita Deus etiam isthic literas propagabit,
et veritatem stabiliet. Gliscentibus por-
tentis fanatici illius Georgii necessarium e-
rit medium, quod dicis. Habeo scriptum il-
lud Mulhusii anno 60 excusum, quod mihi
hactenus in pretio fuit propter raritatem.
Haberus Spirae adhuc haeret: Spirenses quasi lu-
pum auribus tenent. Neque enim ejicere hospi-
tem audent causidicis gravis et quibusdam
[illegible] carum, neque propter ingenii turbulen-
tiam et vicinorum judicia retinere. Sed mon-
debit eos in summum paulo post, anguis iste. Mi-
hi nebulo ille nescio quam excarnificationem
minatus nuper est: si frivolo mei [illegible]
[illegible]: quia Pelagianismum
ipsi objeceram. Sed non metuo fulmen ex pelvi.
Casparus tuus valet, et feliciter pergit, mode-
stia et sedulitate magis magisque se nobis com-
mendat: Ut ergo sic pergat, tu eum exhortari
perge. Schopperus Ambergensium Doctor Luthe-
ranus nuper emisit libellum [illegible]:
[illegible] appellat, cum duabus concionibus
de coena: Praestigias nostris Heidelbergensibus
objicere conatur. Ideo responsum mihi fuit
injunctum, quod jam misi Ambergam: forte

ad nundinas prodibit. Ita cogimur ab ipsis,
bonas horas pessimè locare in eluenda cram-
be toties recocta. Sententiam Senatus Tigurini
in fratricidam ab alto saxo, nondum audivimus.
Vale vir ac frater honorande, Deus te nobis
et Ecclesiæ, cum honorandis collegis tuis diu
servet: Accipe exercitationem mei filii: cujus
studii paulò post volente Deo vobis com-
mendabo. Heidelbergæ 17. Aug. 1596.

T. T.

D. Pareus.